ctioni ſpiritualium ſubſtantiarum, quæ ſunt a corpore ſeparatæ, ea, quæ apud nos aguntur, ignorant; & hoc etiam videtur tangere Auguſt. in *lib. de cura pro mortuis agenda cap.* 13. dicens, quod animæ mortuorum rebus viventium non interſunt. Quod repetit in ſupplemento *3. p. q. 69. art. 3. ad* 3. & præcipue *q. 72. art. 1. ad* 1. ubi ait: *Verbum Auguſtini intelligendum eſt de cognitione naturali animarum ſeparatarum... non autem loquitur de cognitione, quæ eſt in Verbo, quam conſtat Abraham eo tempore, quo hæc dicta ſunt per Iſaiam, non habuiſſe, cum ante Chriſti Paſſionem nullus ad viſionem Dei pervenerit.* Videatur D. Thom. *hoc loco per totum articulum:* Et inſuper *q. 9. de Verit. art. 6. ad* 5. ubi exponens idem dictum Iſaiæ 63. *Abraham neſcit vos*, ait, *Auguſtinus loquitur de cognitione naturali animarum, per quam etiam Sancti non poſſunt cognoſcere, quæ hic aguntur. Sed ex virtute gloriæ ea cognoſcunt, ut expreſſe dicit Gregorius in Moral. exponens illud in Job:* Sive fuerint nobiles filii ejus, ſive ignobiles, non intelligent. Et ſubinde aſſignans in hoc differentiam inter animas, & Angelos, ſubdit. *Sed Angeli habent naturalem cognitionem magis elevatam, quam animæ.*

XVII. Quod ſi aliquis inſiſtat, S. Auguſtinum loqui de animabus Beatorum, ac velle, has prorſus ignorare, quid hic agatur. Reſpondet D. Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 8. citato in corp. Quod *quantum ad hoc videtur eſſe differentia inter Gregorium, & Auguſtinum. Nam Gregorius ibid.* (12. Moral. cap. 14.) *ſubdit*, quod tamen de Animabus Sanctis ſentiendum non eſt, quia quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit foris aliquid, quod ignorent. *Auguſtinus vero lib. de cura pro mortuis agenda cap.* 13. *& 16. expreſſe dicit, quod* neſciunt etiam Sancti, quid agant vivi, & eorum filii. Et poſt aliqua ſubdit. *Sed Auguſtinus hoc dubitando dicit: unde præmittit cap.* 23. ut volet, accipiat quiſque, quod dicam. *Gregorius autem aſſertive: quod patet per hoc, quod dicit:* Nullo modo credendum eſt. *Magis tamen videtur ſecundum ſententiam Gregorii, quod animæ Sanctorum Deum videntes, omnia præſentia, quæ hic aguntur, cognoſcant. Sunt enim Angelis æquales: de quibus etiam Auguſtinus aſſerit ibid. cap.* 15. *quod ea, quæ apud vivos aguntur, non ignorant.* Hæc D. Thom.

XVIII. Quamquam dici etiam poteſt, D. Aug. non negaſſe abſolute, animas Beatorum videntium Deum cognoſcere, quæ hic aguntur, ad eorum ſtatum pertinentia. Nam ibi cap. 15. ait: *Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quos neceſſarium eſt ea noſſe, non ſolum præterita, vel præſentia, verum etiam futura, ſpiritu Dei revelante, cognoſcere.* An vero hæc illis revelentur immediate in Verbo, an potius per ſpecies a Verbo in ipſis impreſſas, parum refert. Hæc ſatis. Plura, dum, ſi Deus dederit, de invocatione Sanctorum tractabimus, dicenda erunt.

XIX. Secunda vero pars aſſerti, nimirum quod Beati non omnia in Verbo, ſed aliqua ex pertinentibus ad ſuum ſtatum cognoſcant extra Verbum, ſive per ſpecies ab ipſo Verbo impreſſas, ſeu infuſas, ut probetur, Noto, dupliciter intelligi poſſe, quod Beati aliqua videant in Deo, ſeu in Verbo. Uno modo formaliter, hoc eſt, illa eadem viſione, qua Deum vident, & ſunt beati, ita, ut ipſa Dei viſio, eadem ſit viſio creaturarum, quæ dicuntur videri in Deo. Alio modo cauſaliter, non quidem viſione eadem, qua videtur Deus, ſed viſione diſtincta, cauſata tamen ex hoc, quod videatur Deus, ſeu viſione cauſata ex clara ipſius Dei viſione; Ac proinde quæ iſto modo videntur in Deo, videntur ratione beatitudinis, non quidem formaliter, ſed cauſaliter, in quantum a Verbo clare viſo fit quædam impreſſio, ſeu ſpecies in intellectum ad intelligendum aliqua, quæ per viſionem beatam formaliter non intelliguntur. Quæ indicavit D. Thom. *q. 8. de Veritat. art. 5. in Corp.* dicens: *Intellectus Angeli res cognoſcere poteſt, & per ſimilitudines ipſarum rerum, & per ipſam eſſentiam divinam; ſed illa cognitio, qua cognoſcit res per ſimilitudines ipſarum rerum eſt alia a cognitione, qua cognoſcit res per Verbum, quamvis etiam illæ ſimilitudines cauſentur ex conjunctione intellectus Angelici ad Verbum, ſive per operationem ipſius intellectus Angelici ... ſive (quod verius eſt) per influxum Verbi.* Et ad ſecundum: *a Verbo* (inquit) *poteſt fieri impreſſio in intellectum Angeli; ſed cognitio, quæ fit per illam impreſſionem, eſt alia a cognitione, quæ eſt per Verbum.*

XX. Inter hos duos cognoſcendi modos hæc eſt differentia, quod ea, quæ Beati vident formaliter in Verbo, ſeu ea viſione, qua formaliter vident Verbum, vident ſimul, & non ſucceſſive: unde ea, quæ modo ſic vident, viderunt ab initio ſuæ beatitudinis. Ea vero, quæ vident, viſione quidem a Verbi viſione, ſeu a Verbo cauſata, ſed a viſione Verbi diſtincta, non eſt neceſſe, ut ſimul videant, ſed vident ſeu videre poſſunt ſucceſſive, ſecundum quod Verbo placet impreſſionem, ſeu ſimilitudines illorum in intellectum Angeli producere. In quo ſenſu dicit D. Th. in *2. diſt. 11. q. 1. art. 2. ad* 4. quod *ſpeculum æternum voluntarium eſt, quia in eo non videntur, niſi quæ ipſe vult oſtendere.* His prænotatis.

XXI. Probatur dicta ſecunda pars. Si enim Beati omnia, etiam ad ipſos ſpectantia, viderent viſione formali, qua vident Verbum, omnia viderent ſimul, & non ſucceſſive, quia, ut docet D. Th. *q. 8. de verit. art. 4. ad* 14. & nos ſuperius diximus, *quantum ad illam cognitionem, qua Angeli cognoſcunt res in Verbo, non poteſt eſſe ſucceſſio, quia per unum diverſa cognoſcunt*, & conſequenter omnes ea cognoviſſent ab initio ſuæ beatitudinis; ſed multa ſunt, quæ Beati non cognoverunt ſtatim ab initio ſuæ beatitudinis, ſed cognoſcunt, & cognoſcent ſucceſſive: ut Judicii diem, in quo erunt judicandi, & cum Chriſto judicaturi: tempus etiam generalis reſurrectionis, & aſſumptionis ſuorum corporum: & aliorum, quæ non ad intrinſeca ſuæ beatitudinis, ſed tantum ad decentiam pertinent, & ſucceſſu temporis eveniunt; ergo &c.

XXII. Hinc infero primo, nullum Beatorum, præter animam Chriſti, videre formaliter in Verbo omnia præterita, præſentia, & futura, ut *3. p. q.* 10. D. Thomas notum relinquit. De Beata autem Virgine Maria an idem dicendum ſit, affirmare non auſim. Certum eſt, eam, utpote Dei Matrem, Cælorum Reginam, & ſuper omnes Choros Angelorum exaltatam, omnia videre quæcumque Angeli etiam ſupremi vident, & per conſequens, quæ animæ beatæ vident, & alia plura, quæ placet Filio ejus ei revelare, ut teſtantur Divus Bernardus *ſerm. ſignum magnum.*, & S. Ildephonſ. *ſerm. 2. de Aſſumpt.* An vero omnia omnino ſciat, etiam Judicii diem, & hæc formaliter in Verbo, pium quidem eſt cogitare, ſed aſſerere non certum.

XXIII. Infero ſecundo. Angelos Cuſtodes ab initio ſuæ beatitudinis non vidiſſe, quid circa ſingulos ſuæ cuſtodiæ deputandos finaliter ſit eventurum, alias ſciviſſent diem Judicii; quod tamen Chriſtus negat: ſed de omnibus his ſucceſſu temporis cognoſcere in Verbo cauſaliter.

XXIV. Infero tertio, neque Sanctos omnes, omnium quocumque tempore futurorum preces ad ſe fundendas ab initio beatitudinis in Verbo ſimul agnoviſſe. Tum quia ſtatus eorum non requirit, ut tunc ſciant. Tum quia ſequeretur, beatos ſcire diem Judicii. Cum enim notitia illa non poſſet eſſe confuſa, ſed clara, & ordinata, neceſſe foret dicere, quod & temporum, & hominum ordinem, ac ſucceſſionem, qui eos invocaturi ſunt, noverint, & ita qui futuri ſint ultimi hominum ipſos invocaturi, quæ ultimæ eorum preces, & quam ardenter eas fuſuri ſint ultimo mundi tempore, & proinde, quod ſciant etiam tempus, quo ultima Dies futura ſit. Idem dico de Religionum Fundatoribus. Hos enim omnes credendum eſt, non omnia ſtatim ſcire, quæ ad eorum ſtatum pertinent, ſed ſucceſſive, notitia, quidem a Verbo cauſata, ſed a Viſione Verbi diſtincta, & aliquando etiam per revelationem. Et hoc indicare voluit ſanctus Auguſtinus ſupra relatus *l. de cura pro mortuis cap.* 15. & D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 4. *ad* 2. ſcribens: *Beatis, ut Gregorius dicit* (12. moral. cap. 14.) *in Verbo manifeſtatur illud, quod decet, eos cognoſcere de eis, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maxime autem excellentiam eorum decet, ut cognoſcant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. Et ideo petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante, cognoſcunt.*

§. III.

An Beati videant in Deo omnia Decreta Dei.

XXV. Dico primo. Beati (una excepta anima Chriſti) non vident omnia decreta Dei; ſeu omnia, quæ Deus libere decrevit facere. Probatur. Qui videt omnia decreta libera Dei, videt omnia objecta a Deo libere volita; ſed Beatus non videt omnia objecta a Deo libere volita. Nam de die judicii dicitur Marci 13. *de die illa nemo ſcit, neque Angeli in Cælo*: & *Dan.* 10. *v.* 13. dicitur quod Angelus Perſarum, & Angelus Judæorum altercati ſunt (contrarietate rerum, non voluntatum, ut explicat D. Thom. 1. *p. q.* 113. *artic.* 8.) quia illis adhuc ignota erat voluntas Dei, circa liberationem Judæorum,

XXVI. Dico ſecundo. Beati vident aliqua decreta, quæ Deus eis voluerit revelare. Probatur, quia Beati, ut diximus, vident ea, quæ pertinent ad ſtatum ipſorum, at multa Dei decreta pertinent ad ſtatum ipſorum, & eorum, qui ad illos pertinent; ergo &c.

XXVII. Dico tertio. Decreta libera Dei, quæ a Beatis videntur, non omnia videntur ab eis formaliter per viſionem Verbi, & ab initio ſuæ beatitudinis, ſed aliqua videntur in Verbo cauſaliter, ſeu alia viſione cauſata ex viſione Dei, ut ſupra diximus, vel per revelationem. Prima pars patet ex dictis, alias omnia ab initio ſuæ beatitudinis ſimul viderent, & non ſucceſſive, quia viſio Dei ſucceſſionem in ſe non admittit, Secunda etiam pars explicata manet ex dictis. Quibus addo, lumen gloriæ duo exercere munera. Unum eſt eſſe penetrativum divinæ eſſentiæ. Alterum, eſſe manifeſtativum per modum revelationis reſpectu eorum, quæ Deus voluerit illis manifeſtare. Quod eſt idem ac dicere, lumen gloriæ eſſe eminenter lumen Propheticum. Sicut ergo Angelus per idem lumen, quo cognoſcit ſubſtantiam, & voluntatem alterius Angeli, cognoſcit etiam actus liberos ejus per hoc ſolum, quod alter Angelus velit cogitatum ſuum illi manifeſtare, eum dirigendo ad ipſum; ſic per ipſum lumen, quo Beati vident Deum, ſuppoſito, quod Deus velit dirigere, & manifeſtare Beato actum ſuum liberum, Beatus illum cognoſcet. Si tamen Deus non ſtatim illum Beato manifeſtet ab initio beatitudinis, ſed ſucceſſu temporis, illum cognoſcet cognitione quidem cauſata a viſione Verbi, ſed ab ea diſtincta, ut ſuperius dictum eſt.

XXVIII. Dices contra primum. Omnia decreta libera Dei ſunt realiter ipſe Deus, ſed quilibet Beatus videt Deum realiter, ut eſt in ſe; &c.

XXIX. Reſpondetur, diſt. maj. ipſe Deus abſolute ſumptus, nego maj. Deus pro ut dicit terminationem liberam ad creaturas, conced. maj. Eſto autem omnes Beati videant Deum, ut abſolute, & neceſſario in ſe eſt, non tamen vident omnem terminationem liberam Dei ad creaturas, niſi Deus eam illis manifeſtare voluerit. Sicut unus Angelus alium videt, ut eſt in ſe, & ſecundum aliquos, etſi inferior, etiam comprehen-

prehendit, & tamen ſecreta cordis ejus libera non videt, niſi ex illis manifeſtare voluerit.

XXX. Dices contra ſecundum. Beatus ex vi ordinationis divinæ non poteſt videre decreta libera Dei; ergo &c. Antecedens probatur. Ordinatio, ſeu Voluntas Divina decreta ſua manifeſtandi non minus eſt libera, quam ſint ipſa decreta; ſed hæc quia libera, occulta ſunt, nec poſſunt a Beato videri, niſi manifeſtentur; ergo a pari, &c.

XXXI. Reſpondetur, negando antecedens. Ad probation. diſtin. maj. libera per modum tamen manifeſtationis, conc. maj. aliter, nego maj. & diſtincta minor. nego conſequen. Ordinatio illa Divina, ſeu Voluntas Dei manifeſtandi ſua decreta, eſto libera, eſt tamen per modum manifeſtationis ſui, & aliorum; eſtque ſicut lucerna de nocte lucens, quæ & ſe ipſam, & alia manifeſtat. In tantum enim actus liber eſt occultus, quia agens liberum illum vult manifeſtare. Cum ergo Deus directionem illam, ſeu ordinationem erga Beatum velit manifeſtare, ſequitur, quod illi non ſit occulta, ſed manifeſta. Et his huic Tractatui de Viſione Dei, ad quam Deus nos perducat, finem imponimus.

TRACTATUS QUARTUS
DE DEO SCIENTE,
Seu de Scientia Dei.

Tractatui de Deo viſibili ſubnectimus tractatum de Deo vidente, ſeu intelligente, & ſciente: eſſe enim intelligentem, ac ſcientem eſt una ex perfectionibus, & forte maxima, quæ in Deo excogitari poteſt. De hac agit D. Th. tota *q.* 14. 1. *p.* quam inſcribit *de ſcientia Dei*. De qua primo inquiremus exiſtentiam, eſſentiam, objectum, medium, diviſionem, & cætera, quæ a Theologis, præſertim noſtratibus, examinari ſolent, maxime de ſcientia futurorum contingentium.

QUÆSTIO IV.

De exiſtentia, & eſſentia divinæ ſcientiæ.

HOC eſt primum, quod in quacumque re examinari ſolet, nimirum an ſit, & quid ſit.

DUBIUM I.

An in Deo ſit intellectus, ſeu an Deus ſit natura intellectiva.

§. I.

Reſolutio Dubii.

DEum eſſe intelligentem adeo apud homines certum fuit, ut ab intelligendo nomen Deo imponeret: *Nam Theos* (ait D. Thom. 1. contra G. c. 44.) *quod ſecundum Græcos Deum ſignificat, dicitur a Theaſte, quod eſt conſiderare, vel videre.*

Hanc veritatem clamant Scripturæ, clamat & ratio. Scripturæ quidem. Nam de Deo *Job.* 9. *v.* 4. dicitur *Sapiens corde eſt, & fortis robore.* Et c. 11. v. 11. *ipſe enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne conſiderat? Cap.* 12. *v.* 13. *Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium, & intelligentiam.* Heſter 14. v. 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam.* Pſalm. 138. v. 5. *Ecce Domine tu cognoviſti omnia, noviſſima, & antiqua.* Et paſſim: præſertim in Teſtamento novo. *Rom.* 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Et *ad Col.* 2. *v.* 3. de Filio Dei, *In quo* (inquit Paulus) *ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.*

II. Ratio pariter hoc demonſtrat multipliciter. Primo: Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex in Deo proprie & formaliter ponenda eſt; ſed talis eſt ratio intellectivi; ergo &c. Maj. patet ex ſuperius dictis. Min. prob. Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt illa, quæ abſolute, & in omni genere melior eſt ipſa, quam non ipſa, ex D. Anſelmo in *Monologio cap.* 14. ſed talis eſt ratio intellectivi: nam in omni re melius eſt eſſe intelligentem, quam non intelligentem, ſeu ignarum; ergo &c.

III. Secunda ratio eſt. Quod invenitur in pluribus magis, ac magis, ſecundum quod illi plures alicui appropinquant; oportet, ut in illo maxime inveniatur: ſicut, quia quanto corpora mixta magis accedunt ad ignem, tanto calidiora ſunt, oportet, ut calor maxime inveniatur in igne: ſed quanto magis creaturæ accedunt ad Deum, tanto magis cognitionem participant, ſicut homines plus, quam bruta, & Angeli plus, quam homines, quia Angeli magis accedunt ad Deum; quam homines, & homines magis, quam bruta; ergo oportet, ut ratio cognoſcitivi maxime invenitur in Deo. Hanc rationem expendit D. Thom. *in 1. ſent. diſt. 35. quæſtion.* 1. *artic.* 1. ubi ſicut & in 1. *contra Gen. cap.* 44. & in 1. *ad Annibal. diſt. 35. q. 1. art.* 1. alias tradit rationes.

IV. Tertia ratio iſta eſt. Deus enim mundum regit, reſque non ſolum animatas, ſed prorſus inanimes ita ad ſuos fines dirigit, ut ad eos determinate, & non cauſaliter tendant; ſed res inanimes, utpote cognitione carentes, non tendunt ad finem, quem ipſæ cognoſcant; ergo tendunt ad finem, ad quem ex cognitione Directoris ordinantur. Sicut enim ex quo ſagitta certum ſcopum attingat, & ex quo navis non caſu, ſed determinate dirigatur ad portum, & neque in ſagitta, & navi adſit cognitio, arguimus, eam eſſe in Sagittario emittente ſagittam, & in Nauta gubernante navem. Sic ex quo res omnes cognitione carentes ad certos, determinatoſque fines diriguntur, arguitur intelligentia in Deo eas dirigente. Unde concludit Philoſophus *2. phyſic. text.* 75. quod opus naturæ eſt opus intelligentiæ. Ex D. Thom. *in 1. diſt. 35. q.* 1. *art.* 1. Hæc veritas adeo explorata eſt, ut facilius invenias, qui Deum neget, quam qui, Deo admiſſo, ab eo auferat intelligentiam.

§. II.

Examinatur ſpecialis D. Thomæ ratio.

V. DEum eſſe naturæ intellectualis, conſtat ex dictis. Volens tamen D. Th. aſſignare rationem, ſeu quaſi radicem intellectualitatis in Deo, tum hac 1. *p. q.* 14. *art.* 1. tum aliis locis ſuperius citatis, ita diſcurrit. Quanto ſubſtantia aliqua ſpiritualior eſt, tanto eſt ad intelligendum aptior, immaterialitas enim eſt intellectualitatis ratio, & quaſi fundamentum; ſed Deus eſt in ſummo gradu ſpiritualis; ergo eſt in ſummo gradu intelligens, ſeu intellectivus. Major prob. a D. Th. & a poſteriori, & a priori. A poſteriori quidem. Nam ſi percurramus ordinem rerum, videbimus cognoſcitivitatem penſari penes majorem, vel minorem elevationem ſupra materiam in operando. Quia enim plantæ in operando omnino immerſæ ſunt in materia, & a qualitatibus materialibus, & elementaribus dependentes, nullo modo ſunt cognoſcitivæ. Quia Angelus magis elevatus eſt a materia in operando, quam homo, magis, & melius intelligit Angelus, quam homo. Et quia homo magis eſt elevatus a materia, quam bruta, perfectius cognoſcit homo, quam bruta. Et tandem quia anima ſeparata a corpore, elevatiori modo operatur, quam operetur, ut conjuncta corpori, ubi in cognoſcendo a phantaſmatibus materialibus dependet, melius intelligit anima ſeparata, quam conjuncta corpori; ergo &c.

A priori vero probatur. In tantum aliquid eſt cognoſcitivum, in quantum, præter formam propriam, natum eſt habere formas aliarum rerum, ſpecies nimirum intentionales aliarum rerum repræſentativas, qua ratione Philoſophus 3. *de Anima text. 37. dicit*, quod *Anima eſt quodammodo omnia*; ſed quo aliquid ſpiritualius eſt, eo aptius eſt ad hujuſmodi formas habendas; ergo &c. Min. prob. Aptitudo ad habendas aliarum rerum ſpecies, ſeu formas provenit ex amplitudine, & illimitatione naturæ, quæ non eſt reſtricta ad propriam formam, ſed vel in ſe habet aliarum rerum formas, vel ad eas acquirendas poteſt ſe extendere: ſed natura eo majorem amplitudinem habet, & illimitationem, quo eſt a materia elevatior, quia materia eſt principium coarctationis, & limitationis; ergo &c.

VI. Roboratur dicta ratio. Solum reperiuntur tres ordines intelligentium, Deus nempe in ſupremo, Angelus in medio, Homo in infimo; Ergo pro radice intellectualitatis debet aſſignari aliquod prædicatum, in quo hi tres conveniant, & rurſum tum ab aliis, tum invicem diſtinguantur; ſed non eſt excogitabile aliquid, niſi immaterialitas, ſeu modus operandi elevatus ſupra materiam, quo ſecundum majorem, vel minorem elevationem ſupra materiam graduetur in illis major, vel minor intellectualitas; ergo ab iſta major, vel minor intellectualitas ſumenda eſt.

§. III.

Solvuntur ea, quæ militant contra præfatam D. Thom. rationem.

VII. OBjiciunt aliqui primo ſic. Datur natura cognoſcitiva, quæ non eſt immaterialis: natura enim brutorum cognoſcitiva eſt, immaterialis non eſt, ſed corporea; ergo male probatur ex immaterialitate cognoſcitivitas.

VIII. Reſpondetur diſt. antec. quæ non eſt immaterialis, ideſt omnino materiæ expers. conc. antec, immaterialis, ideſt quodammodo elevata ſupra modum materiæ in operando, nego antec. Dupliciter poteſt dici aliquid immateriale. Uno modo quatenus dicit carentiam totius materiæ phyſicæ, tam in eſſendo, quam in operando, quo pacto Angeli immateriales, ſeu ſpirituales ſunt. Alio modo poteſt dici immateriale id, quod, eſto a materia pendeat, aliquo tamen modo ſupra conditiones materiæ in operando, immo & in eſſe elevatur, ut ſuas operationes independenter a qualitatibus materialibus, & ſenſibilibus poſſit formaliter perficere. Eſto ergo natura brutorum non ſit immaterialis primo modo, eſt tamen ſecundo modo; tum quia habet eſſe non limitatum ad propriam formam, ſed potens habere formas ſenſibiles aliarum rerum, puta ſpecies colorum &c. tum quia eſto præte-

prærequirat qualitates elementares, & materiales ad debitam organi diſpoſitionem; formaliter tamen illis non utitur ad ſuas operationes: ſentire enim, & imaginari non perficitur calefaciendo, aut infrigidando, ut ait D. Thom. & in hoc ſenſu verum eſt, quod ordinis natura cognoſcitiva eſt aliqualiter immaterialis. Quia tamen iſte modus immaterialitatis eſt infimus: ideo fundat etiam infimum modum cognoſcitivitatis.

IX. Porro, ut funditus hæc doctrina penetretur; prætereunda non ſunt, quæ docet D. Thom. *3. contra Gent. c. 68.* ubi poſtquam docuit, aliquas eſſe formas adeo infimas, quæ ad nullam operationem poſſunt ſe extendere, niſi ad eas, quæ eliciuntur mediis qualitatibus, quæ ſunt diſpoſitiones materiæ, ut *calidum, frigidum, humidum, ſiccum, rarum denſum, grave, & leve: Unde iſtæ ſunt formæ omnino materiales, & totaliter immerſæ in materia*, quales ſunt formæ elementorum, & mixtorum corporum: ſubdit: *ſuper has iterum inveniuntur aliquæ formæ, quarum operationes extenduntur ad aliqua operata, quæ excedunt virtutem qualitatum prædictarum: quamvis qualitates prædictæ organicæ ad harum operationes deſerviunt: ſicut anima plantarum*, & has dicit aſſimilari motoribus corporum cæleſtium, *in quantum ſunt principia motus* (communis) *rebus viventibus, quæ movent ſe ipſas*. Deinde pergit: *Super has formas inveniuntur aliæ formæ ſimiles ſuperioribus ſubſtantiis, non ſolum in movendo, ſed etiam aliqualiter in cognoſcendo: & ſic ſunt potentes in operationes, ad quas nec organicæ qualitates prædictæ deſerviunt: cum operationes prædictæ non compleantur niſi mediante organo corporali: ſentire enim, & imaginari non complentur calefaciendo, & infrigidando, licet hæc ſint neceſſaria ad debitam organi diſpoſitionem*. Ex quibus apparet, quænam elevatio ſupra materiam ſufficiat ad cognitionem.

X. Objiciunt ſecundo. Recipere formas aliarum rerum convenit etiam non cognoſcentibus: nam aqua recipit calorem ab igne, & aer lucem a ſole, inſuper recipit ſpecies, quæ ab objecto deferuntur ad ſenſus, & tamen nec aqua, nec aer cognoſcentia ſunt. Inſuper Deus eſt ſumme cognoſcitivus, & tamen nec recipit formas aliarum rerum, quia Deus non recipit ſpecies a creaturis, ſed omnia per ſuam eſſentiam cognoſcit.

XI. Reſpondetur negando aſſumptum. Exemplum aquæ, & aeris non eſt ad rem: etenim aqua, dum recipit calorem ab igne, & aer lucem a ſole, recipiunt quidem formam alienam, ſed non *formam alicujus rei*, ut ait D. Thom. quia calor, qui eſt in aqua, & lux, quæ eſt in aere, non eſt ipſe calor ignis, aut lux ſolis, eſto ſit in ſpecie ſimilis. At formæ, quas nata ſunt cognoſcentia recipere, ſunt formæ aliarum rerum, nempe ſpecies intentionales, quæ ſunt formæ propriæ objectorum, quibus verificatur, quod cognitum ſit in cognoſcente per ſpeciem, & formam ſui. Eſto autem ſpecies dum ad ſenſum defertur, recipiatur entitative in aere, quia tamen non recipitur in illo, modo intentionali, & ut repræſentans aeri ſuum objectum, non facit aerem cognoſcentem ipſum.

Ad id, quod additur de Deo, dico, quod, eſto Deus non recipiat formas aliarum rerum, habet tamen illas in ſe, nimirum in eſſentia divina, quæ eſt illi ſpecies, ſeu forma omnium rerum; & propterea S. Doctor caute non dicit: cognoſcens natum eſt *recipere*: ſed natum eſt *habere* formam etiam rei alterius.

XII. Objiciunt tertio. Voluntas eſt immaterialis, & tamen non eſt cognoſcitiva; ergo ex immaterialitate male infertur cognoſcitivitas.

Reſpondetur, diſt. ant. immaterialitate ſubſtantiali, & per modum naturæ, nego ant. accidentali, & per modum proprietatis naturæ, conc. ant. & nego conſeq. Eſto ergo non omne ens accidentale, etſi immateriale, ſit formaliter intellectivum, nulla tamen datur ſubſtantia, ſeu natura immaterialis; quæ juxta modum immaterialitatis cognoſcitiva non ſit. Neque ut verificetur, quod omnis ſubſtantia immaterialis ſit intellectiva, ſeu cognoſcitiva, & radix intellectivitatis, ſeu cognoſcitivitatis, oportet, ut omnes potentiæ immateriales profluentes ab ipſa formaliter cognoſcitivæ ſint: ſed oportet, quod, ex quo immaterialis eſt, profluat neceſſario ab aliqua potentia proxime intellectiva: ſicut, ut verificetur, quod anima rationalis ſit radix riſibilitatis, non oportet, quod ſit riſibilis in omni potentia, quam radicat, ſed ſufficit, quod aliqua potentia in ipſa radicata ſit riſibilis. Idem dico de ſpe & charitate, quæ licet immateriales ſint, quia tamen ſunt immateriales per modum proprietatis, non per modum naturæ, non infertur, quod ſint cognoſcitivæ formaliter.

XIII. Objiciunt quarto. Poſſibilis eſt ſubſtantia immaterialis, quæ tantum ſit volitiva, & non cognoſcitiva. Secundo poſſibilis eſt ſubſtantia immaterialis, quæ nullo modo ſit operativa; ergo poſſibilis eſt ſubſtantia immaterialis, quæ non ſit radix intellectionis. Ant. prob. a pari. Poſſibilis eſt ſubſtantia materialis; quæ nullo modo ſit operativa, ut multi putant de Cælo Empyreo; ergo ſimiliter poſſibilis eſt &c.

Reſpondetur ad primum, neg. antec. Illa enim ſubſtantia non intellectiva eſſet pure volitiva, & non eſſet: eſſet, ut ſupponit arguens; non eſſet autem; quia, cum nihil poſſit eſſe volitum, quin ſit præcognitum, repugnat, aliquid eſſe volitivum boni, quin illud poſſit cognoſcere, ad ſecundum nego ant. Ad probat. vel nego antec. Cælum enim Empyreum influit & ipſum, agitque in hæc inferiora, non tamen medio motu, ſicut cæteri Cæli; ſed vel media illuminatione, aut alia vi nobis ignota. Vel admiſſo antec. nego conſeq. & paritatem. Natura enim corporea poteſt pertinere ad ſolum gradum eſſendi, qui ſine ulla operatione ſalvari poteſt. At natura ſpiritualis, utpote actualis, & in genere vitæ ſubſtantialis, abſque radice alicujus operationis ſalvari nequit. Prior tamen reſponſio, ut probabilior tenenda eſt cum D. Thom. qui hac *1. part. q. 66. art. 3. ad 2.* ait, quod *ſatis probabile eſt, quod Cælum Empyreum ſecundum quoſdam, cum ſit ordinatum ad ſtatum gloriæ, non habet influentiam in inferiora corpora, quæ ſunt ſub alio ordine, utpote ordinata ad naturalem rerum decurſum. Probabilius tamen videtur dicendum, quod ſicut ſupremi Angeli, qui aſſiſtunt, habent influentiam ſuper medios & ultimos, qui mittuntur: ita Cælum Empyreum habet influentiam ſuper corpora, quæ moventur, licet ipſum non moveatur*. Et *quodlib. 6. art. 19.* expreſſe dicit, quod retractavit ſententiam, quam in *2. diſt. 2. q. 2. art. 3.* docuerat, nimirum Cælum Empyreum non habere influentiam in reliqua corpora. *Et hoc quidem* (inquit) *mihi aliquando viſum eſt. Sed diligentius conſiderans, magis videtur dicendum, quod influat in corpora inferiora.*

XIV. Objiciunt quinto. Eſſe intellectivum in Deo eſt prædicatum ejus eſſentiale; ergo nequit a priori demonſtrari; ergo præfata ratio D. Thom. a priori non probat.

Reſpondetur primo, diſt. ant. eſſe intellectivum radicaliter eſt &c. conc. antec. proxime, nego antec. Eſſe enim intellectivum proxime, ſeu potentia proxime intellectiva, non eſt prædicatum quidditativum, ſed attributum Dei; Et hoc demonſtrat D. Thomas ex immaterialitate.

Vel ſecundo dico, quod prædicatum eſſentiale, eſto nequeat a priori demonſtrari per aliquid, quod ſit adæquate prius illo, poteſt tamen demonſtrari per aliquid inadæquate prius. Sic ex activitate ſe movendi probatur vita, non quia paſſio orta ex activitate ſe movendi, ſed quia in illa eſſentialiter includitur, ut quid inadæquate prius: & ex ratione entis per eſſentiam probavimus, omnia prædicata divina etiam quidditativa, quia concipitur, ut quid inadæquate prius illis, & ratio omnium illorum; ſicque cum intelligere radicale includat eſſentialiter immaterialitatem, tamquam prædicatum, quod concipitur inadæquate prius radice intelligendi, & tamquam ratio, cur hæc Deo conveniat, poteſt aſſumi, ut medium quoad nos, ad probandam a priori radicem intellectualitatis.

§. IV.

Aliqua de Divino Intellectu reſolvuntur.

XV. Quæres primo: An Intellectus ſit attributum Dei? Reſpondetur affirmative. Præcipuum enim attributum naturæ intellectualis, & prima ejus proprietas eſt Intellectus, per quem ejus præcipua, & prima operatio tamquam potiſſimus ejus fructus, nempe intelligere, explicatur; ſed Deus eſt naturæ intellectualis; ergo Intellectus eſt ejus attributum.

Rurſus Intellectus Divinus virtualiter emanat a natura divina: ſed quod in Deo virtualiter emanat a natura eſt ejus attributum; ergo &c. Maj. probatur. Omnis potentia operativa ſaltem virtualiter emanat a natura, ſeu principio radicali operandi.

XVI. Quæres ſecundo: An in Deo ſit admittendus intellectus ſub ratione potentiæ intellectivæ, an vero ſolum ſub ratione actualis intellectionis?

Reſpondetur, varie circa hoc etiam D. Thomæ diſcipulos opinari. Qui enim (inter quos præcipui ſunt PP. Salmanticenſes, Gonet, & alii,) conſtituunt divinam naturam in intelligere actualiſſimo, dicunt, non dari in Deo intellectum per modum potentiæ adhuc virtualiter diſtinctæ ab actuali intellectione: ſed in eo intellectum, & actualem intellectionem realiter, & virtualiter idem eſſe. Qui vero conſtituunt naturam divinam per intelligere radicale, ponunt in Deo Intellectum per modum potentiæ proximæ virtualiter a radice intelligendi, & ab actuali intellectione diſtinctæ.

XVII. Huic opinioni libentius ſubſcribo, non enim ullum video inconveniens, ſi in primo ſigno naturæ concipiatur Deus ut ens a ſe, & radicaliter intellectivus, in ſecundo ut habens intellectum, ſeu potentiam proximam ad intelligendum, & in tertio ut actu intelligens. Et probo primo, quia inter actum ſecundum, qui eſt operatio, & eſſentiam mediat ex ſua ratione virtus proxime operativa; ſed intellectio actualis eſt actus ſecundus, ſeu operatio; ergo inter illam, & eſſentiam mediat intellectus, ſeu vis proxime intellectiva.

Secundo. Ea, quæ differunt definitione, in Deo debent virtualiter inter ſe differre; ſed natura radicaliter intellectiva, virtus proxima ad intelligendum, & actualis intellectio differunt definitione, ut per ſe patet; ergo virtualiter diſtinguuntur in Deo.

Tertio. Principium debet differre ab eo, cujus eſt principium, formaliter quidem, ſi ſit principium formale, virtualiter autem, ſi ſit principium tantum virtuale; ſed intellectus divinus eſt principium ſaltem virtuale intellectionis; quæ utpote vitalis, debet ſaltem virtualiter egredi a ſuo principio; ergo &c.

XVIII. Sed dices. Ratio potentiæ derogat actui puro; ſed Deus eſt actus purus; ergo in Deo non eſt intellectus per modum potentiæ.

Reſpondeo diſt. maj. ſi ſit potentia paſſiva, conc. maj. potentia activa, ſubdiſt. ſejuncta a ſuo actu, conc. maj. conjuncta, immo includens ſuum actum, nego maj. Eſto autem in Deo ponamus intellectum per modum potentiæ, non tamen ponimus eum per modum potentiæ paſſivæ, & potentialis, ſed pure activæ, & ſemper conjunctæ, & includentis actum ſuum, nempe actualem intellectionem; & ideo non derogat puritati actus, cui ſat eſt, omnem actualitatem includere, eſto eam ſub omni conceptu non exprimat.

XIX. Sed iterum dices. Intellectus per modum potentiæ activæ eſt cauſa actualis intellectionis; ſed nihil divinum poteſt habere

habere cauſam, cum ſit ens a ſe; ergo. Secundo D. Th. *1. p. q. 14. art. 4.* docet, quod intelligere Dei eſt ejus eſſentia, & ejus eſſe; atqui eſſentia Dei a nullo procedit; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. maj. cauſa virtualis, conc. maj. cauſa formalis, neg. maj. & ſimiliter diſt. min. neg. conſ. Actualis ergo intellectio in Deo non poteſt quidem habere cauſam formalem ſui, cum ſit formaliter realiter ipſe intellectus, & eſſentia Dei, poteſt tamen habere, immo de facto habet Intellectum Divinum, ut cauſam virtualem proximam, & eſſentiam ut virtualem radicem ſui, quia ita comparatur ad Divinum Intellectum, ut ſi ab aliquo formaliter oriri poſſet, non ab alio oriretur, quam ab illo, nec in alio radicetur, quam in Divina Eſſentia, ſi poſſet in aliquo formaliter radicari. —— Hinc ad ſecundum dico, S. Thom. ſolum velle, quod intelligere Dei ſit ſua Eſſentia, & eſſe realiter, non vero quod ſit ſua eſſentia, & eſſe conſtitutive, nam *1. p. q. 19. art. 1.* dicit de Deo, quod *ſicut ſuum intelligere eſt ſuum eſſe ita ſuum velle*, Sed non ſuum velle conſtitutive, ſed ſolum realiter; ergo non eſt ſuum intelligere conſtitutive, ſed &c.

XX. Dices præterea. Omnis diſtinctio potentiæ ab actu ſuo provenit ex inſufficientia, & potentialitate potentiæ; ſed intellectus divinus nullam habere poteſt inſufficientiam, & potentialitatem; ergo &c.

Reſpond. diſt. maj. pro prima parte, omnis diſtin. orta ex limitatione provenit ex inſufficientia, conc. maj. orta ex ratione formali, ſubdiſt. provenit ex inſufficientia negat. conc. maj. privativa, nego maj. & ſimiliter diſt. min. nego conſeq. Licet ergo in Intellectu Divino non poſſit concipi inſufficientia privativa, quæ eſt carentia alicujus perfectionis debitæ, & de ſpecie principii proximi, poteſt tamen in illo concipi inſufficientia negativa, ſeu non ſufficientia ad aliquid ſibi non debitum, quia non eſt de ſua ſpecie. Sicut intellectus Divinus concipitur, ut non ſufficiens ad volendum, quia volitio non eſt debita, nec de ſpecie intellectus. Cum ergo actualis intellectio non ſit perfectio ſpectans ad ſpeciem, ſeu ad rationem formalem potentiæ proxime intellectivæ, ſed ad rationem ultimi actus intelligendi: ideo licet Intellectus Divinus concipiatur, ut diſtinctus ab intellectione, non concipitur, ut inſufficiens, niſi inſufficientia negativa. Eo vel maxime, quod Divinus Intellectus, licet non exprimat actualem intellectionem, eam tamen implicat, & includit. Ex quo apparet falſitas ſecundæ partis majoris, quia ſola illa diſtinctio provenit ex potentialitate, quæ eſt inter duo, quorum unum actu non includit alterum: quod ſi includit actu, eſto actu non explicet, non eſt locus carentiæ, & conſequenter neque potentialitati.

XXI. Inſtabis. Ut Intellectus Divinus concipiatur actus purus, debet concipi, ut excurrens uſque ad ultimam actualitatem ſuæ lineæ; ſed ultima actualitas lineæ intellectivæ eſt intellectio; ergo niſi concipiatur, ut excurrens uſque ad actualem intellectionem, non concipitur, ut actus purus.

Reſp. diſt. maj. ſuæ lineæ quaſi ſpecificæ, conc. maj. quaſi genericæ, ſubd. illam includendo, conc. maj. illam explicando, nego maj. & diſting. min. lineæ intellectivæ, quaſi generice ſumptæ, conc. min. quaſi ſpecifice, nego min. & diſt. conſ. ut excurrens includendo eam, conc. conſ. explicando eam, nego conſ. Linea intellectiva ſumi poteſt quaſi generice, & ſic amplectitur quidquid ad lineam intellectivam pertinet, nimirum principium radicale, proximum, & actualem intellectionem. Sumi deinde poteſt quaſi ſpecifice, ut determinate dicit unum ex præfatis. Ut ergo quilibet conceptus intellectivus divinus concipiatur actus purus, requiritur quidem, ut concipiatur explicans perfectionem ultimam ſuæ lineæ quaſi ſpecificæ, v. g. ut concipiatur potentia proxime intellectiva cum omni perfectione, & actualitate ad lineam potentiæ proxime ſpectante, non tamen ut explicans perfectionem propriam principii radicalis, vel actus ultimi, nempe intellectionis: ſed ſat eſt, ut illam implicet, & includat.

D U B I U M II.

An detur in Deo Scientia vere talis.

§. I.

Excluditur a Deo ſcientia per modum habitus.

SCientia dupliciter accipi poteſt, vel pro habitu ſuperaddito potentiæ eam facilitante, & proxime expediente ad actus ſcientificos, vel pro actu, ſeu actuali cognitione ſcientifica, & ſic definitur *cognitio rei per cauſam*. Quærimus igitur primo, an detur in Deo ſcientia per modum habitus divino intellectui virtualiter ſuperadditi, an vero ſolum per modum actus.

I. Dico. In Deo non datur ſcientia per modum habitus virtualiter ſuperadditi, & diſtincti a divino intellectu. Probatur. Formalitas habitus quomodocumque ſuperadditi potentiæ, ex ſua ratione formali ſupponit in potentia imperfectionem, nempe inſufficientiam; ſed in intellectu divino nulla admitti debet imperfectio; ergo &c. Major probatur. Habitus ex ſua ratione formali, vel confert, vel complet virtutem potentiæ in ordine ad actum, aut ſaltem facilitat potentiam ad actum, ad quem potentia ſine habitu erat difficilis: unde potentiæ, quæ habent omnem virtutem requiſitam ad actum, nec ſunt difficiles ad ejus elicientiam, ut ſunt potentiæ vegetativæ partis, & ſenſus externi, ut experientia docet, habitibus non indigent; atqui utrumque horum ſupponit imperfectionem in potentia: primum enim ſupponit defectum virtutis: ſecundum defectum facilitatis in potentia; ergo &c.

II. Inſtabis tamen primo. Ponere in Deo potentiam proxime intellectivam virtualiter diſtinctam a principio radicali intellectivo nullam arguit imperfectionem in principio radicaliter intellectivo. Secundo, ponere in divino intellectu intellectionem virtualiter diſtinctam, nullam arguit in divino intellectu imperfectionem, ut dicebamus *dub. præc.* §. 4. Tertio, ponere in Deo formalitatem ſpeciei virtualiter diſtinctam ab objecto, nempe eſſentia nullam arguit imperfectionem. Ergo &c.

III. Reſpondeo conced. anteced. nego conſequentiam, & paritatem. Pro explicatione diſparitatis adverto (ſeu potius repeto, quæ ſuperius *dub. præced.* §. 4. obſervavi) quod licet inter aliqua prædicata divina poſſit ſalva perfectione dari diſtinctio virtualis: inter illa tamen ſolum poteſt dari, quæ pertinent ad lineas diverſas ſaltem ſpecie ſubalterna, quorum diſtinctio non ex imperfectione oritur; ſed ex ratione formali: inter ea autem prædicata, quæ ſpectant ad eandem lineam, & quorum diſtinctio ex pura limitatione oritur, ſi transferantur in Deum, nulla debet dari diſtinctio virtualis intrinſeca. Hoc ſuppoſito; Admitto, in Deo dari potentiam proximam virtualiter diſtinctam a principio radicali, intellectionem virtualiter diſtinctam ab intellectu, & ſpeciem virtualiter diſtinctam ab objecto, ſine ulla imperfectione: quia principium radicale in ſua linea principii radicalis non dicit principium proximum, nec potentia proxime intellectiva ex proprio conceptu, & linea petit eſſe actualem intellectionem, neque objectum ex propria ratione objecti petit intelligibilitatem proximam, ſed ſolum radicalem. At potentia ex propria notione potentiæ proximæ petit habere virtutem proxime completam, & expeditam, & facilem ad ſuum actum, ideoque facilitas, ſeu complementum virtutis diſtinctum virtualiter a potentia, ſupponeret in potentia carentiam perfectionis ſibi, ac ſuæ lineæ debitæ, & conſequenter eſſet imperfecta, non ſolum negative, ſed privative.

Ex quibus colligitur, quod virtutes ſive intellectuales, ſive morales, quæ ſunt in intellectu, vel voluntate divina, non diſtinguuntur penes diverſos habitus, ſicut in nobis, ſed ſolum penes diverſos actus, ſeu diverſas terminationes ejuſdem actus. Quare ſicut ſcientia in Deo non nominat habitum, ſed actum, ita ſapientia, lumen principiorum, prudentia, & ars ſolum nominant actus divini intellectus; pariter juſtitia, miſericordia, aliæque virtutes morales non dicunt habitus, ſed actus divinæ voluntatis.

§. II.

Aſſeritur in Deo Scientia per modum actus a priori.

IV. DIco. In Deo datur ſcientia actualis a priori proprie talis. Probatur. Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, & quæ nullam in ſuo conceptu formali dicit imperfectionem, poni debet in Deo; ſed hujuſmodi eſt ſcientia a priori; ergo &c. Min. prob. Scientia a priori ex ſuo conceptu formali dicit cognoſcere rem per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & quod aliter ſe habere non poteſt, atqui hoc modo cognoſcere maximam dicit perfectionem, nimirum certitudinem, & infallibilitatem cognitionis; ergo &c.

V. Dices, ſcientiam eſſentialiter importare diſcurſum a cognitione cauſæ ad cognitionem effectus, & conſequenter dicere duas cognitiones, unam cauſæ, alteram effectus ex cognitione cauſæ cauſatam: quæ certe imperfectio eſt in cognoſcente, & Deum dedecens, qui unico ſimpliciſſimo intuitu omnia cognoſcit.

Sed contra. Eſto hanc imperfectionem habeat ſcientia, quæ in nobis eſt, eam tamen non habet ex ſuo formali conceptu, & multo minus habebit in cognoſcente infinito, qualis eſt Deus; ergo &c. Antec. prob. Tum quia in Angelis ſecundum communem conſenſum, & in anima ſeparata, datur ſcientia ſecundum veram rationem formalem ſcientiæ: & tamen in illis invenitur ſine diſcurſu. Tum etiam, ſicut in homine invenitur ſcientia cum diſcurſu, ita invenitur cognitio principiorum cum compoſitione; ſed cognitio principiorum eſt in Deo ſine compoſitione; ergo & ſcientia vere talis ſine diſcurſu.

Tum tertio & a priori. Scientia ex ſua ratione formali ſolum petit, ut cognoſcatur effectus per cauſam, ſeu ex vi cauſæ cognitæ, ſed cognitio attingens cauſam, & in cauſa attingens effectum, vere dicitur cognoſcere effectum per cauſam, & ex vi cauſæ, immo perfectiori modo: quod enim cognitio attingens cauſam, non attingat effectum, oritur ex limitatione cognitionis, ſicut, quod cognitio attingens ſubjectum, non attingat prædicatum, quia nempe ſpecies repræſentans cauſam non repræſentat effectum, & ſpecies repræſentans ſubjectum, non repræſentat prædicatum; ergo, cum in Deo unica ſit ſpecies, nempe eſſentia repræſentans omnia, in ea, & ex vi illius omnia Deus vere ſciet abſque diſcurſu. Hinc Div. Th. hac *1. p. q. 14. art. 7.* admittit in Deo ſcientiam ſine diſcurſu.

VI. Dices tamen. Eſto de ratione ſcientiæ non ſit diſcurſus formalis, eſt tamen diſcurſus virtualis; ſed Deo repugnat diſcurſus etiam virtualis, quia in diſcurſu, vel eſt, vel concipitur ignorantia ſecundi, nempe effectus pro priori, quo concipitur primum, nempe cauſa; ergo &c. Maj. probatur. Tum in Angelis, in quibus invenitur ſcientia cum diſcurſu virtuali, eſto ſine diſcurſo formali. Tum etiam, quia ſcientia petit, ut cognoſcatur effectus ex vi cognitionis cauſæ; ſed ubi unum cognoſcitur ex vi cognitionis alterius, dari debet duplex cognitio, quarum una ſit cauſa ſaltem virtualis alterius; ergo &c.

VII. Reſpondetur; diſting. maj. diſcurſus virtualis objectivus, conc. maj. ſubjectivus, nego maj. Ad ſcientiam itaque ex ratio-

ratione formali ſcientiæ non requiritur, niſi quod cognoſcatur res per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, ſeu illius cauſam eſſe; Hoc autem ſalvari bene poteſt abſque diſcurſu virtuali, ex parte ſubjecti importante duplicem actum virtualiter diſtinctum, alterum circa cauſam, alterum circa effectum: unica enim ampliſſima cognitio comprehenſiva cauſæ, vel principii, in ipſa cauſa, vel principio cognoſcit effectum, vel concluſionem. Requiritur tamen diſcurſus, qui in hoc conſiſtit, quod unum ſit cauſa, vel principium alterius, & quod ut tale cognoſcatur.

Ad primam probat. vel nego, in Angelo eſſe ſcientiam cum diſcurſu virtuali ſubjectivo, vel eo admiſſo in Angelo, nego paritatem in Deo, propter exceſſum infinitum perfectionis Dei ſupra Angelum.

Ad ſecundam diſt. min. ſi ly *ex vi* faciat ſenſum *tranſitivum*, conc. min. ſi faciat ſenſum *intranſitivum*, nego min. Cognoſcere unum ex vi cognitionis alterius poteſt facere ſenſum tranſitivum, & intranſitivum. Senſus intranſitivus eſt, quod ex cognitione cauſæ, prius ſaltem virtualiter cognitæ, cognitione virtualiter diſtincta cognoſcatur effectus. Senſus vero intranſitivus eſt, quod eadem prorſus cognitione, qua cognoſcitur cauſa, cognoſcatur effectus, effectus tamen ex vi cauſæ. Ubi totus diſcurſus eſt ex parte objecti, non ex parte cognitionum. Quare negari poterat major: ad rationem enim ſcientiæ non requiritur, quod cognoſcatur effectus ex vi cognitionis cauſæ, ſed ſufficit, quod cognoſcatur effectus ex vi cauſæ, ſeu cognoſcere, cauſam talis effectus cauſam eſſe. Hæc reſponſio indicatur a D. Th. *hac q.* 14. *art.* 7. *ad* 2. ubi *dicendum* (inquit) *quod Deus non cognoſcit per cauſam, quaſi prius cognitam, effectus incognitos: ſed cognoſcit in cauſa. Unde ejus cognitio eſt ſine diſcurſu.*

VIII. Dices ulterius contra dicta. Cognitio cauſæ, puta eſſentiæ divinæ, pertinet ad lumen principiorum, cognitio vero attributorum, ſicut & creaturarum pertinet ad lumen ſcientiæ; ſed lumen principiorum, & ſcientia debent in Deo ſaltem virtualiter differre; ergo &c. Min. probatur. Lumen principiorum, & ſcientia reſpiciunt diverſa objecta formalia, illud veritates per ſe notas, iſta veritates per alìud notas: ſed actus reſpicientes objecta formaliter diverſa ſunt in Deo ſaltem virtualiter diſtincti; ergo &c.

IX. Reſpondeo neg. min. ad probat. diſt. maj. objecta formalia, quæ ſunt formalia comparate ad nos, co. maj. quæ ſunt formalia comparate ad Deum, neg. maj. Multa ergo objecta, quæ ſunt formàlia reſpectu unius potentiæ limitatæ, ſunt ſolum materialia reſpectu potentiæ altioris. Sic ſenſibilia externa, quæ ſunt objecta formalia reſpectu ſenſuum externorum, ſunt objecta ſolum materialia reſpectu ſenſus communis. Eadem ergo ratione veritas immediata, & per ſe nota, & veritas mediata, ſeu nota per aliud, ſunt quidem objecta formalia reſpectu intellectus noſtri, & ideo diverſum lumen requirunt in illo, quia ob ejus limitationem nequit unico lumine attingere cauſam, & in cauſa effectum; aut reſpectu intellectus divini, qui infinitæ virtutis eſt, & in cauſa comprehenſa omnem ejus effectum penetrat, objecta tantum materialia ſunt; & propterea non multiplicant in Deo actus adhuc virtualiter diſtinctos ex parte ſubjecti, ſed ſolum terminative, & ex parte objecti.

X. Sed inſtabis. Finis, & media ſunt duo objecta diſtinguentia in Deo virtualiter intentionem quæ eſt circa finem, ab electione, quæ eſt circa media; ergo pariter principium, & concluſio erunt duo objecta formalia diſtinguentia in Deo virtualiter cognitionem cauſæ a cognitione effectus. Conſeq. probatur, quia ſicut ſe habet finis in operabilibus; ita ſe habet principium in ſpeculabilibus.

Reſpondeo negando antec. Sicut enim Deus *omnia intelligit intelligendo eſſentiam, ita alia a ſe vult volendo bonitatem ſuam*, ut ait D. Thom. 1. *p. qu.* 19. *art.* 2. & ideo ſicut unico actu ex parte ſubjecti intelligit eſſentiam ſuam, & in ea effectus omnes, ita intendendo finem, nempe bonitatem ſuam, ratione ejus vult, & eligit eodem actu etiam virtualiter ex parte ſubjecti omnia media creata propter illam. Non quod præter ſuam bonitatem *nihil alìud velit, ſed quod nihil aliud vult, niſi ratione ſuæ bonitatis. Sicut etiam intellectus divinus, licet ſit perfectus ex hoc, quod eſſentiam cognoſcit, tamen in ea cognoſcit alia.* Ita D. Thomas loco laudato *ad* 3. Et *ad* 4. ait: *quod ſicut intelligere divinum eſt unum, quia multa non videt, niſi in uno: ita velle divinum eſt unum & ſimplex, quia multa vult niſi per unum, quod eſt bonitas ſua.*

XI. Tandem dices: Scientia rigoroſe dicta ſupponit, unum eſſe notius altero, nempe principia eſſe notiora concluſionibus; ſed Deo omnia ſunt æqualiter nota; ergo &c.

Reſpondetur diſt. maj. eſſe notius ex parte cogniti, conc. maj. ex parte cognoſcentis ſemper, neg. maj. Ita D. Th. *q.* 2. *de Verit. art.* 1. *ad* 5. his verbis: *Quamvis Deo non ſit aliquid magis, vel minus notum, ſi conſideretur modus rei cognoſcentis, quia eodem intuitu omnia videt; tamen ſi conſideretur modus rei cognitæ, Deus cognoſcit, quædam eſſe magis cognoſcibilia in ſe ipſis, & quædam minus, ſicut inter omnia magis eſt cognoſcibilis ſua eſſentia, per quam quidem omnia cognoſcit, non aliquo diſcurſu, cum ſimul videndo eſſentiam ſuam omnia videat. Unde & quantum ad iſtum ordinem, qui poteſt attendi in divina cognitione ex parte cognitorum, etiam ſalvatur in Deo ratio ſcientiæ: ipſa enim præcipue omnia per cauſam cognoſcit.*

§ III.

Quorum Deus Scientiam habeat.

XII. DIco. Deus habet ſcientiam proprie talem, tum reſpectu omnium creaturarum tam præſentium, quam futurarum, immo & poſſibilium, tum etiam reſpectu ſuorum attributorum. Probatur prima pars. Deus cognoſcit creaturas omnes præfatas in vera cauſa, ſeu per veram cauſam; ergo earum habet veram ſcientiam. Antec. prob. Eſſentia divina ratione Omnipotentiæ eſt cauſa poſſibilium inferens eorum poſſibilitatem: Eadem ut adjuncta divino decreto, eſt cauſa infallibilis futurorum, & exiſtentium: Inſuper eſt cauſa exemplaris, & finalis cujuſcumque entis participati, ſive quantum ad eſſe poſſibile, ſive quantum ad eſſe actualis exiſtentiæ; ſed Deus cognoſcit creaturas omnes per ſuam eſſentiam, ut modificatam, ſive per omnipotentiam, ſive per ſuum decretum; ergo &c.

XIII. Sed dices. Deus non poteſt habere ſcientiam de creaturis, nempe prout exiſtunt, quia ſic contingentes ſunt; de contingentibus autem non datur ſcientia: Inſuper, cum ſint variabiles, variari poſſet divina cognitio. Neque prout ſunt poſſibiles. Tum quia pro ut ſic non dicunt dependentiam a Deo; effectus autem non cognoſcitur in cauſa, niſi in quantum dicit dependentiam ab ea. Tum etiam, quia in cauſa univerſaliſſima, qualis eſt Deus, non poteſt cognoſci effectus determinate, & maxime ſi ſit cauſa excedens: qui enim cognoſceret riſibilitatem in virtute Solis, non diceretur habere ſcientiam de homine.

XIV. Reſpondeo, quod creaturæ exiſtentes, eſto ſint contingentes, contingentia oppoſita neceſſitati abſolutæ, non tamen ſunt contingentes, contingentia oppoſita infallibilitati: ſuppoſito enim divino decreto (in quo Deus illa cognoſcit) de productione illarum, infallibiliter exiſtunt. Nec refert, quod ſint variabiles: nam, ut docet D. Th. *q.* 2. *de verit.* 5. *ad* 11. *ſcientia Dei nullo modo variatur, ſecundum variationem ſcibilium. Ex hoc enim contingit, quod ſcientia noſtra ex rerum variatione variatur, quia alia, & alia conceptione cognoſcit res præſentes, præteritas, vel futuras, & inde eſt, quod, Socrate non ſedente, illa cognitio, quæ habebatur de eo, cum ſederet, efficitur falſa. Sed Deus eodem intuitu cognoſcit res, ut præſentes, præteritas, vel futuras. Unde eadem veritas in intellectu ejus remanet, qualitercumque res varietur.* Hic prætereunda non eſt ſubtiliſſima D. Th. doctrina 1. *p. q.* 14. *art.* 15. *ad primum*, ubi reddens rationem, cur relatio ſcientiæ ad ſcibile non ſit variabilis, cum tamen variabilis ſit ad variationem creaturarum relatio Domini, & Creatoris, reſpondet. *Quod Dominus, & Creator, & hujuſmodi important relationes ad creaturas, prout in ſe ipſis ſunt, ſed ſcientia Dei importat relationem ad creaturas, ſecundum quod ſunt in Deo, quia ſecundum hoc eſt unumquodque intellectum in actu, ſecundum quod eſt in intelligente. Res autem creatæ ſunt in Deo invariabiliter: in ſe ipſis autem variabiliter. Vel aliter dicendum eſt, quod Dominus, & Creator, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas, ſecundum quod in ſe ipſis ſunt: & ideo hujuſmodi relationes varie de Deo dicuntur, ſecundum variationem creaturarum. Sed ſcientia, & amor, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur in Deo eſſe: & ideo invariabiliter prædicantur de Deo.*

XV. Porro ad id, quod dicitur de poſſibilibus, dico, quod licet creaturæ mere poſſibiles non dicant actualem, & exercitam dependentiam a Deo, cum ab eo actu non cauſentur, dicunt tamen dependentiam ſignatam, cum contineantur in virtute divina, ut in cauſa potente illas producere, & hac ratione in ea poſſunt cognoſci. Eſto autem in cauſa univerſali non poſſit cognoſci effectus determinate, & diſtincte, quando illa cauſa univerſalis non continet effectum, ſecundum omnem rationem ejus differentialem, & ultimam, ſed tantum ſecundum rationem communem, ut contingit in virtute Solis reſpectu riſibilitatis; ſecus tamen, contineat effectum, ſecundum omnem etiam ultimam ejus differentiam. *Sic igitur, cum eſſentia Dei habeat in ſe quidquid perfectionis habet eſſentia cujuſcumque rei alterius, & adhuc amplius, Deus in ſe ipſo poteſt omnia propria cognitione cognoſcere. Propria enim natura uniuſcujuſque conſiſtit, ſecundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat.* Ita D. Th. 1. *p. q.* 14. *art.* 6. In corp.

Quod autem divina eſſentia ſit cauſa excedens, ſolum probat, quod non poſſit eſſe ratio ſingula cognoſcendi per modum adæquationis, non vero quod non poſſit *accipi ut propria ratio uniuſcujuſque*, ſi eam de facto contineat: & talis eſt eſſentia divina *ſecundum quod diverſimode eſt participabilis a diverſis creaturis.* Ita D. Thom. loco relato ad 3. videndus etiam *q.* 2. *de verit. art.* 3. *ad* 4.

XVI. Secunda pars, nempe quod Deus habeat ſcientiam ſuorum attributorum probatur. Cognitio, qua attingitur res per cauſam virtualem, ſeu per rationem formalem a priori, eſt vere ſcientifica, ſed Deus ſic cognoſcit ſua attributa; ergo &c. Maj. explicatur in demonſtrationibus Metaphyſicalibus, & Theologicis noſtris, in quibus regulariter non utimur pro medio, niſi aliquo, quod eſt cauſa ſolum virtualis, ſeu ratio a priori. Min. vero ſic probatur. Ex divinis attributis unum eſt cauſa virtualis alterius, ut immutabilitas, quæ eſt cauſa virtualis æternitatis, & omnia virtualiter radicantur in divina eſſentia; ſed Deus omnia ſua attributa cognoſcit in ſua divina eſſentia, ergo &c.

XVII. Dices. Ut Deus cognoſceret eſſentiam ſuam, ſeu cauſam virtualem, & rationem a priori ſuorum attributorum, debe-

deberet cogoſcere eam, ut objective diſtinctam ab iſtis, quia nequit unum concipi, ut cauſa, aut ratio alterius, niſi concipiatur, ut diſtinctum ab illo; ſed Deus non poteſt concipere eſſentiam ſuam, ut diſtinctam ab attributis: cum enim non ſit ab eis diſtincta, conciperet illam aliter ac eſt, ergo &c.

XVIII. Reſp. diſt. maj. diſtinctam actualiter, nego maj. virtualiter, co. maj. & diſt. min. ut diſtinctam actualiter, conc. min. virtualiter nego min. & conſeq. Eſto ergo Deus non cognoſcat eſſentiam ſuam, ut diſtinctam actu formali ab attributis, eam tamen cognoſcit, ut actu virtuali diſtinctam ab eis: cognoſcit enim, ſuam eſſentiam ita ſe habere ad attributa, ut niſi obſtaret actualis identitas, ea formaliter radicaret, & quod attributa non aliam radicem haberent, niſi eſſentiam divinam; hoc autem eſt cognoſcere, eſſentiam divinam eſſe radicem virtualem atributorum, ſufficientem, ut per eam ſcientifice a priori cognoſci poſſint attributa.

§. IV.

Reſolvitur de ſcientia a poſteriori.

XIX. DIco. Probabilius eſt, in Deo non dari ſcientiam a poſteriori proprie talem, qua ſive ex creaturis cognoſcat ſe ipſum, ſive ex attributis cognoſcat eſſentiam ſuam, ſed omnem ſcientiam in Deo eſſe a priori. Duas habet partes. Prima probatur. Omnis cognitio, qua Deus cognoſcit ſe ipſum, eſt cognitio comprehenſiva, & perfectiſſima: ſed ſi ſe ipſum cognoſceret ex creaturis, aut per creaturas ut medium, talis cognitio non eſſet comprehenſiva &c. ſed imperfecta; ergo &c. Maj. patet. Minor probatur. Deus non poteſt ſe ipſum cognoſcere in, aut ex, vel per ſuos effectus, niſi eo modo, quo in illis relucet, ac repræſentatur, ſed Deus valde diminute in ſuis effectibus relucet, & imperfecte per illos manifeſtatur; ergo &c.

XX. Confirmatur primo. Si Deus cognoſceret ſe ipſum in, vel ex creaturis, aut per illas: vel ſe ipſum cognoſceret per ſpecies proprias illarum: vel per ſuam eſſentiam gerentem munus ſpeciei. Primum eſt impoſſibile: Deus enim ſpecies creatas nequit recipere. Si autem ſecundum: non erit ſcientia a poſteriori; ergo &c. Min. pro hac ſecunda parte probatur. Cognitio, qua Deus per eſſentiam ſuam ſe ipſum cognoſcit, primario terminatur ad ſe ipſum, quam ad creaturas: quia eſſentia divina primario repræſentat Deum, ſecundario creaturas: ſed ſcientia vere a poſteriori, qua Deus ex creaturis, vel per creaturas ſe ipſum cognoſceret, deberet prius terminari ad creaturas, ut medium, deinde ad ſe ipſum; ergo &c.

XXI. Confirm. ſecundo, & roboratur hæc ratio. Illa cognitio, qua Deus cognoſceret ſe ipſum in creaturis, vel ex illis, aut per illas: aut terminaretur primario ad Deum, deinde ſecundario ad creaturas, vel primario ad creaturas, & ſecundario ad Deum. Si primum; ergo non eſt cognitio Dei ex creaturis in illis, ſive per illas, ſed creaturarum ex Deo: ideoque non erit ſcientia a poſteriori, quia hæc deberet quodammodo a creaturis incipere, & procedere ad Deum. Si ſecundum; ergo cognitio illa ſpecificabitur a creaturis; quia omnis cognitio ſpecificatur a ſuo termino primario; hoc autem in Deo eſt impoſſibile.

XXII. At dices. Deus videt non ſolum creaturas in ſe ipſo, ſed & ſe ipſum in creaturis; ſed dum videt creaturas in ſe ipſo, habet ſcientiam a priori; ergo dum videt ſe ipſum in creaturis, habebit ſcientiam a poſteriori.

Reſpondetur, diſt. maj. pro ſecunda parte, ſe ipſum in creaturis ex parte rei cognitæ, & cognitione incipiente a ſe ipſo, & terminata ad creaturas, conc. maj. ex parte modi cognoſcendi, & cognitione incipiente a creaturis, & terminata ad Deum, nego maj. & conc. min. eodem modo diſt. conſeq. Ut enim Deus videns ſe ipſum in creaturis, haberet ſcientiam a poſteriori de ſe ipſo, deberet ſe videre cognitione incipiente a creaturis, & ad ſe ipſum terminata; hoc autem modo ſe in creaturis non videt, ſed videt ſe in illis, quia cognoſcendo creaturas in ſe ipſo, cognoſcit, ſe repræſentari per illas, tamquam per veſtigium, vel imaginem. *Nihilominus ex parte cognoſcibilium poteſt* (inquit S. Thom. *quæſt.* 2. *de verit. art.* 2. *ad* 2.) *quidam circuitus in ejus* (Dei) *cognitione inveniri, dum ſcilicet cognoſcens eſſentiam ſuam, alias res intuetur, in quibus ſuæ eſſentiæ ſimilitudinem videt, & ſic quodammodo ad ſuam eſſentiam redit, non quaſi ſuam eſſentiam ex rebus aliis cognoſcens.* Et in 1. *ad Annibal.* diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. *Beati* (inquit) *non cognoſcunt Deum ex creaturis, quia vident Deum per ſcientiam: cognoſcunt tamen eum in creaturis, ſicut & Deus ſe ipſum videt in creaturis repræſentatum.*

XXIII. Replicabis. Deum poteſt ſe ipſum cognoſcere omni modo, quo cognoſcibilis eſt; ſed eſt cognoſcibilis ex creaturis; ergo &c.

Reſpondetur, majorem veram eſſe de omni modo non dicente imperfectionem, alioquin ſequeretur, quod Deus poſſet ſe cognoſcere modo diſcurſivo, cum etiam hoc modo cognoſcibilis ſit. Vel diſt. maj. modo ſe tenente ex parte rei cognitæ, conc. modo ſe tenente ex parte cognoſcentis, ſeu medii cognoſcendi, nego maj. Videt quidem Deus, ſe ipſum repræſentari per creaturas, non tamen per creaturas tamquam per medium videt ſe ipſum.

XXIV. Secunda pars aſſerti, nempe quod neque Deus a poſteriori cognoſcat ex attributis eſſentiam ſuam probatur. Si Deus cognoſceret eſſentiam ſuam in, aut ex vi attributi juſtitiæ, non cognoſceret eſſentiam ſuam, quantum cognoſcibilis eſt, & comprehenſive; ſed omnis divina cognitio debet eſſe comprehenſiva, quia infinita, & cognoſcere eſſentium ſuam, quantum cognoſcibilis eſt; ergo &c. Maj. prob. Si Deus cognoſceret eſſentiam ſuam in, aut ex vi attributi Juſtitiæ, ſolum cognoſceret illam, ut eſt radix Juſtitiæ, non autem, ut eſt radix cæterorum attributorum, quia ex vi juſtitiæ non poteſt cognoſci, niſi, ut radix juſtitiæ.

Quod ſi dicas, quod licet cognitio, qua cognoſceret eſſentiam ſuam in uno attributo, & ex vi illius, non foret comprehenſiva eſſentiæ, bene tamen dum cognoſceret eſſentiam ſuam in omnibus attributis, & relationibus: ſic enim cognoſceret illam, ut radicem omnium; unde hoc modo poterit admitti ſcientia a poſteriori.

XXV. Contra eſt. Adhuc in hac ſuppoſitione eſſentia divina non cognoſceretur, quantum petit cognoſci; natura enim divina, ſicut primo repræſentat ſe ipſam, & deinde attributa, & relationes, ita primo petit cognoſci in ſe ipſa, & ex ipſa attributa, & relationes; quare ſicut ex cognitione omnipotentiæ in omnibus poſſibilibus non ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ, bene tamen ex cognitione omnium poſſibilium in omnipotentia: ita ex cognitione eſſentiæ divinæ in omnibus non ſequeretur comprehenſio divinæ eſſentiæ, ſed ſolum ex cognitione omnium eorum in eſſentia.

Non nego tamen, propterea Deum cognoſcere eſſentiam ſuam in attributis ex parte rei cognitæ, ſicut ſuperius dixi, cognoſcere etiam ſe ipſum in creaturis; ſolum eam non cognoſcere dico, cognitione orta ex attributis, ſic ut attributa ſint medium ad cognoſcendam eſſentiam.

QÆSTIO II.

De objecto Scientiæ, & Intellectus Divini.

DUBIUM I.

An creaturæ ſpectent ad objectum primarium.

§. I.

Reſolutio negativa.

I. DIco, objectum primarium adæquatum divini intellectus, & ſcientiæ, non eſt ens commune Deo, & creaturis. Hanc aſſertionem indicat S. Thomas hic *art.* 5. & expreſſe 1. *contra Gen. c.* 48. ubi variis rationibus probat, Deum primo, & per ſe ſolum ſe ipſum cognoſcere. Probatur, ſi ens ſic abſtractum, & commune foret objectum adæquatum primarium divini intellectus, Deus primario, & per ſe, non ſolum cognoſceret ens increatum, ſed etiam, quia quidquid directe continetur ſub objecto primario, & adæquato alicujus potentiæ, vel habitus, per ſe primo attingitur a tali potentia, vel habitu, ſed divinus intellectus nequit primario, & per ſe attingere ens creatum; ergo &c.

Minor probatur ex D. Thoma loco citato *ex contra Gentes* Primo. Intellectus id ſolum primo, & per ſe cognoſcit, quod primo, & per ſe repræſentatur per ſpeciem, quæ eſt illi forma ad cognoſcendum; ſed per ſpeciem, qua Deus utitur, & quæ eſt illi forma ad cognoſcendum, non repræſentatur primo, & per ſe ens creatum: ſpecies enim iſta, & forma, eſt eſſentia ſua, non vero aliqua ſpecies creata: eſſentia autem divina ſolum ræpræſentat primo, & per ſe ens divinum, cujus eſt formalis ſimilitudo; ens autem creatum ſolum de ſecundario, & ex conſequenti, ut quid ab eo participatum, & dependens, ergo &c.

II. Secundo prob. min. Deus nequit ens creatum primo, & per ſe cognoſcere, nec a cognitione, qua primo, & per ſe cognoſcit ſe ipſum, alias eadem cognitione plus ex æquo, & ut plura, ac diſtincta cognoſceret, quod repugnat, quia unica cognitione plura objecta per ſe primo cognoſci nequeunt. Neque cognitione diſtincta ab ea, qua primo, & per ſe cognoſcat ſe ipſum. Tum quia, ſicut Deus non cognoſcit ens creatum per ſpeciem diſtinctam a ſpecie ſui, ita neque illud cognoſcit cognitione diſtincta a cognitione ſui. Tum etiam quia alias Deus a cognitione ſui mutaretur ad cognitionem alterius, & quidem ignobilioris, & ſic mutaretur in pejus.

III. Tertio prob. eadem minor. Si Deus primo, & per ſe cognoſceret ens creatum, divina intellectio ſpecificaretur per ordinem ad ens creatum, quia, ut ait D. Thom. loco relato *operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem habet, ſecundum id, quod eſt per ſe, & primo intellectum, cum hoc ſit ejus objectum;* ſed impoſſibile eſt, quod divina operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem habeat, ſecundum id, quod eſt aliud ad ipſo, nempe ens creatum, cum ſua operatio ſit ejus eſſentia, quæ ex ſe omnem perfectionem habet; ergo &c.

§ II.

Reſpondetur argumentis oppoſitis.

IV. OBjicitur primo. Intellectui perfectiſſimo, qualis eſt divinus, debet aſſignari objectum perfectiſſimum; ergo ens commune creato, & increato. Conſequentia probatur. Objectum perfectiſſimum eſt objectum univerſaliſſimum: quo enim nobilior potentia eſt, eo univerſalius objectum debet ei aſſignari, ſed ens commune creato, & increato eſt objectum univerſaliſſimum; ergo &c.

V. Reſpondeo. Intellectui perfectiſſimo debere aſſignari objectum univerſaliſſimum; non univerſalitate logica, & prædicationis, ſed univerſalitate continentiæ, & cauſalitatis. Debet enim ei aſſignari tale objectum, quod adſit illi ratio cognoſcendi unico ſimpliciſſimo actu omnia quæcumque cognoſcibilia, & quocumque modo cogoſcibilia. Hoc autem bene præ-

ſtatur

ſtatur per objectum, quod ſit univerſaliſſimum, univerſalitate cauſalitatis, & continens omnia, ſecundum omnes particulares eorum rationes, non vero per objectum, quod ſit univerſaliſſimum in eſſendo, & prædicando: hoc enim, cum ſolum in confuſo, & indeterminate contineat inferiora, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi ea diſtincte; & ſecundum rationes particulares, & proprias, unico, & ſimplici actu: Eſto autem ens commune creato, & increato ſit univerſalius in eſſendo & prædicando, ens tamen increatum eſt univerſaliſſimum in continendo, & cauſando: ideoque aptiſſimum: ut ſit divini intellectus objectum.

VI. Objicitur ſecundo. Si ens creatum eſſet extra objectum adæquatum intellectus divini, Deus non poſſet illud cognoſcere, quia potentia nequit percipere id, quod eſt extra ejus objectum adæquatum; ſed hoc eſt falſiſſimum; ergo &c.

VII. Confirmatur. Quidquid eſt cognoſcibile ab aliquo potentia, debet contineri ſub ejus objecto formali, quod debet eſſe de omnibus contentis ſub illo prædicato, ut patet diſcurrenti per ſingula; ſed ens creatum non continetur ſub ente increato, neque iſtud prædicatur de illo; ergo ens creatum non erit a Deo cognoſcibile.

VIII. Reſp. diſt. maj. extra objectum, & extra ordinem ad illud, conc. maj. cum ordine tamen ad illud, nego maj. Ens igitur creatum eſto non contineatur, ſed ſit extra objectum adæquatum intellectus divini, quia directe, & intrinſece non ponitur ſub illo, non tamen eſt extra ordinem ad illud, immo continetur extrinſece ſub illo, cum ſit illius participatio. Neque oportet, ut totum id, quod etiam ſecundario attingitur, participet intrinſece rationem objecti adæquati, & directe ſub illo contineatur, ſed ſat eſt, ut ad illud reducatur, dicat ordinem, & dependentiam, & ut tale cognoſcatur. Sicut creaturæ non continentur directe, neque intrinſece participant rationem objecti adæquati Theologiæ, quod eſt ſolus Deus; quia tamen ad Deum ordinantur, ideo ſub tali ordine conſiderantur ſecundario a Theologia.

IX. Similiter reſpondeo ad confirm. Quidquid enim cognoſcibile eſt ab aliqua potentia; debet contineri ſub objecto adæquato illius; ſed eo modo, quo eſt inter cognoſcibilia ab illa potentia. Si enim ſit cognoſcibile primo, & per ſe, debet directe contineri ſub objecto adæquato, & hoc debet in recto prædicari de illo. Si vero ſit inter cognoſcibilia ſolum ſecundario, non debet directe ſub objecto adæquato contineri, nec intrinſece illud participare, nec ratio objecti de illo prædicari in recto, ſed ſolum in obliquo. Et hoc modo ens increatum de ente creato prædicatur, nam eſto non ſit vera prædicatio: *ens creatum eſt ens increatum;* vera tamen eſt iſta: *ens creatum eſt aliquid entis increati*, nempe illius participatio, & hac ratione qui cognoſcit ens increatum; perfectiſſima cognitione, ſicut Deus, cognoſcat in illo, per illud, & ratione illius etiam ens creatum.

X. Objicitur tertio. Deus cognoſcit primo, & per ſe ens in communi; ergo ens ut ſic pertinet ad objectum primarium divini intellectus. Antec. probatur; Tum quia illud non attingit ſecundario, alias omnia, quæ continentur ſub illo, ac proinde Deus ipſe, ſecundario cognoſcerentur ab ipſo. Tum quia Deus cognoſcit omne verum omni modo, quo cognoſcibile eſt; ſed ens ut ſic eſt cognoſcibile primario, & ratione ſui, & ſic a nobis cognoſcitur; ergo &c.

XI. Reſpondetur diſting. ant. ens in communi, ut præciſum a ſuis modis, neg. antec. ut incluſum in modo divinitatis, conc. antec. Cognitio entis in communi, ſi ſolum terminetur ad rationem explicitam entis, erit confuſa, & potentialis, ſiquidem non attinget modos, & differentias entis, ac proinde erit imperfecta. *Nam intelligere* (ait D. Thom. hac *1. part. q. 14. art. 6. in cap.*) *aliquid in communi, & non in ſpeciali, eſt imperfecte aliquid cognoſcere. Unde intellectus noſter, dum de potentia in actum reducitur, pertingit prius ad cognitionem univerſalem, & confuſam, quam ad propriam rerum cognitionem, ſicut de imperfecto ad perfectum procedens.* Si vero terminaretur, non ſolum ad rationem explicitam entis, ſed per ſe primo etiam ad omnes modos in illo incluſos, ſpecificaretur ſaltem inadæquate etiam ab ente creato, quod nequit dici. Remanet ergo, quod Deus primo per ſe ſolum cognoſcat ens, ut determinatum per modum divinitatis, & in ente Divino, & ratione ejus alia ſecundario attingat.

D U B I U M II.

An attributa pertineant ad objectum primarium Divini intellectus.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DUplex eſt objectum: unum primarium, & ſpecificativum: alterum ſecundarium. Rurſus objectum primarium reſpectu intellectus, aliud eſt motivum; eſtque id, quod movet intellectum ad cognitionem: & aliud terminativum, quod primario terminat cognitionem. Quia vero inter objecta primaria, alia ſunt, quæ primario terminant cognitionem, ſed ad eam non movent ratione ſui, alia, quæ ratione ſui terminant, & movent: Ideo objectum primarium aliud eſt motivum, & terminativum ſimul, aliud vero terminativum, ſed non motivum. Hoc prælibato. Quærimus, an tam attributa, quam eſſentia pertineant ad objectum primarium tam terminativum, quam motivum divini intellectus, an vero ſola eſſentia ſit objectum motivum, & terminativum. Omiſſa opinionum varietate etiam inter Thomiſtas,

II. Dico. Ens increatum, ſeu divinum, ut comprehendit eſſentiam, attributa, & relationes, conſtituere objectum primarium, tam motivum, quam terminativum adæquatum intellectus divini; ideoque non eſſentia ſola, ſed cum attributis, & relationibus movet, & terminat divinam cognitionem per ſe primo, modo explicando.

Aſſertio hæc pro ea parte, qua aſſerit, divinam eſſentiam pertinere ad objectum motivum divini intellectus, certiſſima eſt, quia ipſa eſt, quæ unitur immediate intellectui divino per modum ſpeciei, ſeu formæ intelligibilis, ut docet D. Th. hac *quæſt.* 14. paſſim, & præcipue *art. 4. & 5.* Tota ergo difficultas eſt in hoc, quod non ſola eſſentia, ſed attributa, & relationes pertineant ad objectum primarium motivum, hoc enim plerique negant. Nam hoc habito infertur ſtatim, ea eſſe quoque objecta primaria terminativa. Nam licet in nobis poſſit contingere, quod objectum movens ad cognitionem, non terminet illam, ut quando ex imagine Imperatoris movemur ad cognoſcendum Imperatorem, quæ cognitio non ad imaginem moventem, ſed ad Imperatorem terminatur: quia tamen hoc requirit pluralitatem cognitionum, quarum una moveat ad alteram, quod Deo repugnat: Ideo eo ipſo, quod eſt objectum motivum, debet etiam eſſe terminativum.

III. Probatur ergo primo. Quotieſcumque aliqua, vel habent eamdem omnino intelligibilitatem, vel omnino æqualem, ſi unum ſpectat ad objectum primarium motivum alicujus potentiæ, etiam alia ſpectare debent: ſed eſſentia, attributa, & relationes, vel eamdem omnino intelligibilitatem habent, vel in omnibus eſt æqualis: cum in omnibus ſit intelligibilitas increata, & divina &c. ergo &c. Maj. probatur, quia ratio motiva eſt ipſiſſima intelligibilitas.

IV. Secundo, objectum primarium motivum divini intellectus illud eſt, quod primario repræſentatur per ſpeciem, qua divinus intellectus intelligit, cum ſpecies ſit, quæ movet media repræſentatione, & eo modo aliquid moveat, quo repræſentatur per illam; ſed attributa, & relationes per ſpeciem divini intellectus nempe per eſſentiam divinam repræſentantur, non ſecundario, alias eſſent objecta ſecundaria, ſed primario, cum in attributis, & relationibus ſit eadem, ſaltem æqualis intelligibilitas; ergo &c.

V. Sed dices, repræſentari quidem primario, & non mere ſecundario per divinam eſſentiam, at non immediate, & ratione ſui, ſed mediate ſolum, nempe mediante divina eſſentia, quæ eſt ſpecies intelligibilis, & primo per ſe repræſentans ſe ipſam; objectum autem motivum eſt, quod ratione ſui movet, & quod primario, & immediate repræſentatur, non vero id quod eſto primario repræſentetur, repræſentatur tamen ſolum mediate, & ratione alterius. Hæc eſt tota ſententiæ contrariæ baſis.

VI. Verum contra eſt. Eſto ex hoc ſequatur, quod attributa, & relationes non ſint objectum motivum immediatum, & primario primum, non tamen, quod non ſint objectum primarium motivum mediatum, & ſecundum; ſed hoc nos tantum aſſerimus; ergo &c. Maj. probatur. De ratione objecti primarii motivi non eſt movere immediate, ſed movere primario; ſed hoc ipſo, quod attributa, & relationes repræſententur primario in eſſentia divina, movent primario, eſto ſolum mediate, quia ſpecies non movet, niſi ratione repræſentationis; ergo, &c. Major probatur. Tum quia objectum movet ratione repræſentationis, ſeu quatenus repræſentatur per ſpeciem; ſed repræſentari primario dupliciter contingit, vel immediate, vel mediate; ergo & movere. Tum quia de ratione objecti primarii terminativi ſolum eſt terminare primario, non vero terminare immediate, quia in communi ſententia attributa, & relationes non terminant divinam cognitionem immediate; ſed ſolum mediante eſſentia, & tamen pertinent ad objectum primarium terminativum; ergo a pari.

Confirm. eſto attributa, & relationes in eſſe entis virtualiter diſtinguantur ab eſſentia, in ratione tamen intelligibilis unica, & indiviſibili intelligibilitate puriſſima intelligibiles ſunt; qua ratione diximus, non poſſe videri eſſentiam, non viſis attributis, & relationibus; ſed quæ eadem indiviſibili intelligibilitate gaudent, gaudent etiam eadem repræſentabilitate, & conſequenter ſi unum movet, movere debet & alterum; ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & ſolvuntur objecta.

VIII. OBjicies primo. Id eſt objectum primarium motivum divini intellectus, quod media ſui ſpecie eum fœcundat ad ſui cognitionem: ſed ſola eſſentia divina eſt ſpecies, quæ immediate fœcundat intellectum divinum; ergo eſt ſola ipſa, quæ movet, ſeu objectum motivum.

Reſp. diſt. min. & in eſſentia divina repræſentantur primario attributa, & relationes, conc. min. aliter neg. min. & vel neg. conſeq. vel diſtinguo conſ. motivum immediatum, conc. conſ. mediatum, nego conſ.

VIII. Dices. Objectum primarium motivum debet ratione ſui movere potentiam, alias non diſtingueretur ab objecto ſecundario; ergo ſi ſola eſſentia divina movet intellectum ratione ſui, ſola ipſa eſt objectum motivum.

IX. Confirmatur. D. Thomas *quæſt.* 14. *art. 5. ad 3.* docet, ſolam eſſentiam divinam ex eo, quod eſt forma intelligibilis, & in ea omnia intelliguntur, ſpecificare divinam intellectionem; ergo ſola ipſa eſt objectum primarium, Antec. probatur afferendo verba S. Doctoris: *Ad 3. dicendum, quod ipſum intelligere non ſpecificatur per id, quod in alio intelligitur, ſed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipſum intelligere ſpecificatur per objectum ſuum: in quantum forma intelligibilis eſt principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio ſpecificatur per formam, quæ eſt principium operationis, ſicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem ſpecificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc eſt ſpecies principalis intellecti, quæ in Deo nihil eſt aliud, quam eſſentia ſua, in qua omnes ſpecies rerum comprehenduntur. Unde non oportet, quod ipſum intelligere divinum, vel potius ipſe Deus, ſpecificetur per aliud, quam per eſſentiam ſuam.* Cum ergo attributa & relationes intelligantur in eſſentia divina, ſicut in principali intellecto; ſicut hæc ſola ſpecificat, ita hæc ſola movet.

X. Reſpondetur, neg. antec. Objectum enim dicitur, & eſt ſecundarium, non quia præciſe movet ratione alterius, ſed quia movet ratione alterius, in quo ſolum ſecundario repræſentatur. Cum autem attributa, & relationes, eſto non moveant ratione ſui; ſed ratione eſſentiæ, repræſententur tamen primario per eam, eſto mediate, cum ſint ejuſdem actualitatis, & repræſentabilitatis cum ipſa, idcirco non debent excludi ab objecto primario, eſto non primo, & immediato, ſecundo ſaltem, & mediato.

XI. Ad confirm. ex D. Thom. diſt. antec. docet ſolam eſſentiam divinam ſpecificare &c. ſecundum adæquatam primariam repræſentationem, conc. antec. aliter, nego antec. Nec oppoſitum ſuadent verba S. Doctoris; Illis enim ſolum intendit excludere ab objecto primario, & ſpecificativo divinæ cognitionis creaturas; cujus oppoſitum tentabat argumentum, nimirum, quod ſi Deus cognoſceret alia a ſe, ipſe Deus ſpecificaretur per aliquid aliud a ſe. Et merito quidem, nam creaturæ repræſentantur, & cognoſcuntur in alio, nempe in eſſentia divina tamquam ſecundario repræſentatum.

XII. Objicies ſecundo. Intelligibilitas divinorum attributorum eſt ſecundaria: ergo non repræſentantur primario per divinam eſſentiam. Antec. prob. intelligibilitas in altero radicata eſt ſecundaria; ſed intelligibilitas attributorum eſt radicata in divina eſſentia; ergo &c.

Reſpondetur nego ant. ad prob. diſt. maj. radicata exiſtens diverſæ rationis ab intelligibilitate radicantis, conc. maj. exiſtens ejuſdem rationis &c. nego maj. & diſt. min. eodem modo. Cum ergo intelligibilitas attributorum eſto radicata virtualiter in eſſentia divina, ſit ejuſdem rationis, immo eadem prorſus ac intelligibilitas eſſentiæ, & ita a ſe independens, & actus purus, ſicut illa: propterea ſicut illa eſt primaria, ita & iſta.

XIII. Objicies tertio. Si attributa, & relationes moverent primario intellectum divinum, jam Verbo Divino communicarentur formaliter, cum illi communicetur formaliter omne id, quod habet rationem ſpeciei, & objecti per ſe motivi, & ſic ei communicaretur quoque Paternitas, quod eſt implicatorium.

Reſpondetur, negando ſequelam maj. Verbo enim Divino formaliter communicatur ſolum id, quod immediate, & ratione ſui eſt forma, ſeu ſpecies: non vero totum id, quod tali ſpecie mediate, eſto primario, repræſentatur. Nos autem nec dicimus, attributa, & relationes habere ratione ſui munus ſpeciei, nec immediate movere intellectum divinum, ſed ſolum mediate, tamen tamquam quid primario repræſentatum, & non ſecundario.

Q U Æ S T I O III.

De modo, & medio cognitionis divinæ.

D U B I U M I.

An Deus cognoſcat ſe modo comprehenſivo.

§. I.

Reſolvitur quæſtio.

I. DIco. Deus comprehendit perfectiſſime ſe ipſum. Ita D. Thomas hic *quæſt. 14. art. 3.* cujus ratione ſub hac forma probatur. Tunc res comprehenditur, quando cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt, ita, ut cognoſcitivitas cognoſcentis adæquet cognoſcibilitatem cogniti; ſed divina cognitio cognoſcit Deum quantum cognoſcibilis eſt, ita, ut vis Dei cognoſcitiva adæquet ipſam Dei cognoſcibilitatem; ergo &c. Maj. explicatur tum exemplo aquæ, quæ dicitur comprehendi a vaſe, quando ita adæquatur ab illo, ut tanta ſit capacitas vaſis, quanta eſt quantitas aquæ, ut nihil aquæ ſit extra vas. Tum exemplo propoſitionis cognitæ demonſtrative, quæ ideo comprehenditur, quia adeo perfecte cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt. Min. quoque prob. Nam virtus Dei in cognoſcendo eſt infinita, ſicut ejus cognoſcibilitas eſt infinita; ergo vis cognoſcitiva Dei adæquat ejus cognoſcibilitatem.

§. II.

Solvuntur argumenta.

II. ARguitur primo. Deus, ex quo eſt infinitus, eſt incomprehenſibilis. Jerem. 32. v. 19. *Deus magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu;* ſed ita eſt infinitus, ut a nullo finitari poſſit; ergo ita eſt incomprehenſibilis, ut a nullo comprehendi poſſit.

Reſp. diſt. maj. eſt incomprehenſibilis reſpectu intellectus finiti, conc. maj. reſpectu intellectus infiniti, nego maj. Ex quo ergo Deus ſit infinitus, ſequitur quidem, eum a nullo intellectu creato, & finito comprehendi poſſe, ut ſupra oſtendimus, non tamen, eum comprehendi non poſſe, & adæquari ab intellectu ſuo, qui eſt infinitus, per hoc enim ejus infinitas non tollitur, ſed aſſeritur.

III. Dices ex Auguſtino *lib. 83. quæſt.* 14. quod id, quod comprehendit ſe, finitum eſt ſibi; ergo ſi Deus comprehendit ſe, eſt ſibi finitus.

Confirmatur. Si Deus ſibi ipſi eſt finitus, licet infinitus nobis; ergo verius eſt, Deum eſſe finitum, quam infinitum: nam unumquodque verius eſt, ſecundum quod eſt apud Deum. quam ſecundum quod eſt apud nos.

IV. Reſpondetur, diſt. antec. quod comprehendit ſe, ut includens ſe ipſum, conc. ant. ut nihil ſui lateat ipſum, nego antec. Ita D. Thom. hic art. 3. ad 1. *Comprehendere* (inquit) *ſi proprie accipiatur, ſignificat aliquid habens, & includens alterum. Et ſic oportet, quod omne comprehenſum ſit finitum, ſicut omne incluſum. Non ſic autem comprehendi dicitur Deus a ſe ipſo, ut intellectus ſuus ſit aliud, quam ipſe, & capiat illud, & includat: ſed hujuſmodi locutiones per negationem ſunt exponendæ. Sicut enim Deus dicitur eſſe in ſe ipſo, quia a nullo exteriori continetur: ita dicitur comprehendi a ſeipſo, quia nihil eſt ſui, quod lateat ipſum. Dicit enim Auguſt. lib. de videndo Deum* (epiſt. 112. ad Paulinum) quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Hæc D. Thomas.

V. Ad confirm. diſt. ant. finitus in ſenſu proprio, conc. ant. ſecundum analogiam proportionis, nego antec. Reſponſio eſt D. Thom. laudati ad 2. *Cum* (inquit) *dicitur, Deus finitus eſt ſibi, intelligendum eſt ſecundum quamdam ſimilitudinem proportionis: quia ſic ſe habet in non excedendo intellectum finitum. Non autem ſic dicitur Deus ſibi finitus, quod ipſe intelligat, ſe eſſe aliquid finitum.*

VI. Arguitur ſecundo, & replicatur. Comprehenſio dicit ſimilitudinem in objecto comprehenſo; ergo Deus nequit comprehendi. Ant. prob. Comprehenſio eſt attingentia ultimi termini, & finis cognoſcibilitatis objecti; ergo dicit &c. Conſ. prob. Tum quia in infinito non poteſt ſignari terminus. Tum quia infinitum pertranſibile non eſt.

Reſp. nego ant. ad prob. diſt. ant. ultimi termini ſive poſitive, ſive negative, conc. ant. præciſe, quod ſit attingentia ultimi termini poſitive, ita, ut in re attacta terminus poſitive adſit. Sed ſufficit, ut ſit attingentia ultimi termini negative, ideſt, quod adæquetur cum re cognita. Ex quo oritur hoc negativum, quod res cognita non excedat cognoſcentem, & nihil ejus lateat ipſum. Hoc autem æque bene exerceri poteſt, & in objecto finito, & infinito. Sicut enim finitum ita adæquatur finito, ut illud non excedat: ita infinitum adæquari poteſt infinito, ut illud non excedat, ut nuper cum D. Thom. dicebamus: & hoc modo Deus a ſe comprehendi dicitur abſque læſione ſuæ infinitatis.

VIII. Ad id, quod additur, dico, infinito non poſſe ſignari terminum poſitive, neque pertranſiri poſſe poſitive, numerando ſcilicet ipſum uſque ad ultimum poſitive: terminari tamen, & pertranſiri poteſt negative, quatenus totum infinite, & totaliter adæquatur, nec excedit infinitum, a quo comprehenditur. Audiendus propterea eſt D. Th. hac *q. 14. art. 12. ad 2.* ubi ſimili objectioni reſpondens ait: *Dicendum, quod tranſitio importat quamdam ſucceſſionem in partibus. Et inde eſt, quod infinitum tranſiri non poteſt, neque a finito, neque ab infinito, ſed ad rationem comprehenſionis ſufficit adæquatio, quia id comprehendi dicitur, cujus nihil eſt extra comprehendentem. Unde non eſt contra rationem infiniti, quod comprehendatur ab infinito. Et ſic quod in ſe eſt infinitum poteſt dici finitum Scientiæ Dei tamquam comprehenſum, non tamen tamquam pertranſibile.*

D U B I U M II.

Quo medio Deus cognoſcat creaturas poſſibiles.

§. I.

Deus cognoſcit creaturas propria cognitione.

I. DEum de facto omnia diſtincte, & propria cognitione cognoſcere veritas fidei eſt, partim revelata in Script. *Gen. 1. v. 31. Vidit Deus cuncta quæ fecerat.* Sap. 7. Spiritus intelligentiæ Dei dicitur v. 23. *Omnem habens virtutem, omnia proſpiciens.* Eccleſiaſtici 39. 24. *Non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus. Hebr. 4. v. 12.* dicitur *pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Partim ex Conciliis, & Patribus, quos in re tam nota ſuperfluum eſt referre. Quibus omnibus ſubſcribit D. Th. hac *q. 14. art. 6. q. 2. de ver. art. 4. & 5.* & alibi paſſim.

II. His non obſtantibus, ait D. Thom. *quidam* (Averroes, & Alchazel) *erraverunt dicentes, quod Deus alia a ſe non cognoſcit, niſi in communi, ſcilicet in quantum ſunt entia. Sicut enim ignis, ſi cognoſceret ſe ipſum, ut eſt principium caloris, cognoſceret naturam caloris, & omnia alia, in quantum ſunt calida: ita Deus, in quantum cognoſcit ſe, ut principium eſſendi, cognoſcit naturam entis, & omnia alia, in quantum ſunt entia.* Sed hoc reprobat S. D. quia eſſet tribuere Deo cognitionem rerum ſolum imperfectam, univerſalem, & confuſam.

III. Probatur ergo ratione ejuſdem S. D. ſic. Deus, ut vidimus, perfecte cognoſcit, & comprehendit ſe ipſum, ejuſque virtutem cauſativam; ergo cognoſcit creaturas omnes eo omni modo,